

non tantum juri mere positivo, sed etiam naturali inniti videntur.

(61. Canones autem quæ versantur circa ea quæ sunt juris Naturæ, neququam abrogari consuetudine possunt, vel ulla humana relaxatione immutari.

(62. Consuetudinem abrogare potest tam jus commune, quam statutarium.

(63. Præsertim si jus quod alieni tribuitur, non est prohibens, sed concedens.

(64. Circa consuetudinem, quatuor casus figurari valent, in quibus ipsa adesse potest. Primus est quando jus est conforme consuetudini, disponendo id quod consuetudo recipit: et tunc ista non est consuetudo, sed observantia legis. Secundus, quando jus est simpliciter contrarium consuetudini disponendo id contra quod introducta fuit consuetudo; et tunc ista dicitur consuetudo contra simplicem dispositionem juris, quæ sola quadragenaria induci potest. Tertius est, ut quando Jus est nedum contrarium consuetudini, sed illi resistit derogando, et prohibendo contrarium usum, et tunc requiritur quadragenaria cum titulo vel immemorabilis. Quartus casus est, quando jus nec assistit, nec resistit consuetudini, sive per contrarietatem, sive per resistantiam prohibivam, et tunc dicitur consuetudo interpretativa, quæ datur in re dubia, et potest per decennium introduci.

(65. Consuetudo ut vim et auctoritatem legis habeat tria concurrere debent, videlicet usus longævus, Principis consensus, et rationabilis causa; ita Doctores omnes in L. de quibus, de consuetudine agentes.

(66. Quot anni desiderantur ad inducendam consuetudinem vim legis habentem, non constat apud Doctores. Glossa et Bartolus docent decem vel viginti annis induci perfectissimam consuetudinem; Holtomanus vero et Mela existimant tantum tempus desiderari, quantum superstium hominum nec ætas, nec memoria comprehendere possit.

(67. Quidquid sit, receptior opinio est illorum, qui discrimen constituunt inter consuetudinem quæ est præter jus et eam quæ est contra jus; ita ut sit præter jus scriptum, desiderantur tantum decem anni; si vero contra jus, desiderantur quadraginta.

(68. Sed sive per decem sive per quadraginta annos inducatur consuetudo, debent per illud tempus actus populi intervenire; quia non verbis, sed factis consuetudo introducitur; (69. qui quidem actus debent esse voluntarii et non coacti, ut pluribus relatis defendit Avendanus de Metu lib. 2, c. 36. (70. Hi actus debent etiam esse uniformes, cum ex difformibus consensus colligi non possit.

(71. Ut Consuetudo vim legis obtineat, desideratur Principis consensus sive approbatio, et hæc vel tacita vel expressa.

(72. Consensus Principis debet esse rationabilis, ita ut justa ratione nitatur, sive rationi non repugnet quæ lege statui potuit; eadem enim est materia legis, justitiæ et consuetudinis; nam consuetudo est tacita quadam lex; leg. 3. Quæ sit longa consuetudo.

do. Irrationabilis enim consuetudo corruptela est, quæ nec immemorabili tempore præscribi potest.

ADDITIONES CASINENSES.

(73. Illud profecto videtur obstare validitati Consuetudinis contra Canones, quod sicut Inferiores Papa non possint condere leges contra Sac. Canones c. Cum inferior. 16, de Majorit. et obed. sic non valeant etiam contra eos consuetudinem inducere. Sed animadvertendum est aliquam disparitatem esse inter legem et consuetudinem. Nam vetitum est contra Canones leges condere propter periculum animarum, ut observat Abbas cap. ult. num. 9, de Consuetud. Et propterea omnino deest legislatoris consensus. At pro consuetudine rationabili eadem ratio non militat, nam cum lex ordinatur ad bonum commune, ubi longa experientia constet contra mentem legislatoris Canonem deservire potius ad laqueum Conscientiarum, quam ad illarum utilitatem conferre, tunc Legislatorem subditorum infirmitati deferre, et saltem facite et legaliter legem abrogare optime censetur. Unde si bene advertimus, in tali casu inferior non derogat legibus Superioris, sed ipse Legislator eam tollit, consentiendo tali consuetudini, et Jure communi statuendo quod per contrariam consuetudinem rationabilem legitimeque præscriptam possit tolli jus positivum humanum, Abbas c. 1, num. 4. de Tregua et pace.

(74. Quia Consuetudo est jus non scriptum et obtinet vim, rationemque legis, propterea sicut lex dividitur, ratione suæ materiæ, in Ecclesiasticam et Civilem, sic Consuetudo alia est Ecclesiastica, alia Civilis. Consuetudo Ecclesiastica sive Canonica est illa quæ ad res Spirituales vel Ecclesiasticas pertinet, Civilis vero, quæ circa materias temporales, vel ad gubernationem Reipublicæ pertinentes versatur. Sed consistere nequit Consuetudo mixta, ut si Clerici et Laici in eadem re convenirent; nam talis Consuetudo aut est de materia spirituali, servaturque tam a Clericis, quam a Laicis, quatenus sunt Christiani, et vocatur Consuetudo Canonica. Aut Consuetudo est de re mere temporali et tunc dicitur Civilis, quia custoditur a Clericis, non quatenus sunt Clerici, sed in quantum sunt Cives, et Reipublicæ membra; Suarez lib. 9 de legibus cap. 5, n. 1; Pirrhing de cons. n. 7.

Consuetudo generalissima est illa quæ in toto Orbe Christiano servatur, non in aliqua Civitate vel Provincia solummodo. Tales sunt consuetudines Ecclesiasticæ, quas memorat can. Ecclesiasticor., dist. 11. Consuetudo generalis vero dicitur ea quæ tantum in una Christiani Orbis Provincia servatur, ut in c. Cum Eccles. de Election. et c. Ex tuarum de authoritat. et usu Pallii. Specialis tamen consuetudo appellatur, quam tenet dumtaxat aliqua civitas, pagus, aut villa, de qua fit mentio in c. Venientes 19 de Jurejurando ibi: « Secundum vestræ Civitatis consuetudinem. » Et l. An in totum 6, de Edific. privat. et l. Ven. § Si constat. ff. Commu-

no prædior. Hæc tamen Consuetudo prævalet Generali, et si sint incompatibiles, illi derogat, juxta Reg. 34. Juris in 6 Generi per speciem derogatur. Et si coexistere possint, generalis per specialem explicatur, Card. Tuschus Lit. G. Concl. 36, n. 41; Barbosa Axiomat. 107, n. 3 et 12. Demum appellatur specialissima illa Consuetudo, quæ servatur a minima parte populi, ut l. Si Servus plurimum. § fin. ff. de Legat. I et l. qui semisses. ff. de Usuris. Hæc tamen jus non facit, sed tantum præsumptionem inducit, cui stare debemus, nisi contrarium probetur per Leg. cit. juncto c. Ex studiis et c. Mandata de Præsumption.

(75. Consuetudo dividitur amplius in judicialem et extrajudicialem, Zasius tit. de Legib. ff. n. ult. Judicialis ea dicitur, quæ pluribus sententiis conformibus super eodem causarum genere obtinuit in judicio; et saltem tunc requiritur quod bis judicatum fuerit pariformiter in judicio contradictorio intra decennium, Glossa in l. De quibus § In veterata. At si aliquando juxta illam, aliquando contra judicium prolatum fuerit, nulla Consuetudo inde oritur, Glossa l. Cum de consuetudine, etc. Contradictio ff. eod. Contra Consuetudo extrajudicialis est illa quæ longo usu populi extra judicium inducitur.

(76. Consuetudo per quam rumpitur Nervus Disciplinæ Ecclesiæ, scilicet boni mores vel ordines Ecclesiasticæ Hierarchiæ violantur, nullam vim obtinet, proque irrita habetur, c. Cum inter 5, Consuetud. « Nos igitur cognito, inquit, quod ex tali consuetudine (non servandi Interdictum generale) si qua foret, dirumperetur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, ipsam duximus irritandam. » Ex quo sic concludit Glossa fin. « Et sic patet, quod ubicumque fit aliquid contra Ecclesiasticam disciplinam, sive nervum Ecclesiæ, non habet locum præscriptio. »

(77. Similiter non valet Consuetudo quæ impedit correctionem morum, uti clare habetur in c. Irrefragabil. de Offic. Ordinar. ibi: « Ut autem correctionis et reformationis officium (Prælati Ecclesiarum) libere valeant exercere, decernimus ut executionem ipsorum nulla consuetudo, vel appellatio va-

CONTRACTUS IN GENERE.

SUMMARIUM.

1. Contractus proprie dictus quid sit. — 2. Adducitur, et solvitur instantia. — 3. Contractus ut sic dividitur primo in contractum explicitum, seu formalem, et in contractum implicitum, seu interpretativum: et quis sit uterque; ad n. 5. — 6. Secundo, contractus ut sic dividitur in contractum gratuitum lucrativum, et in contractum onerosum; et quis sit uterque; ad n. 8. — 9. Tertio, contractus ut sic dividitur in contractus nominatos et in contractus innominatos; et qui sint uterque, ad n. 12. — 13. Assignatur discrimen inter ipsos, usque ad n. 14. — 15. Quarto, Contractus ut sic dividitur in Contractus bonæ fidei, et in Contractus stricti juris, et qui sunt utrique, usque ad n. 16. — 17. Contractus bonæ fidei quare dicantur tales. — 18. Actiones bonæ fidei numerantur septemdecim. — 19. Contractus possunt perfici, aut compleri quatuor modis, scilicet, re,

leat impedire. » Et cap. Cum ex officii 16, de Præscript. « Quemadmodum nec contra visitationem ipsam potest aliquo modo præscribi, » etc. Quamvis vero non præscribatur per Consuetudinem obedientia et visitatio, ac consequenter morum correctio extinctiva, ita ut, scilicet, nulli debeatur obedientia, et nulli pertineat morum correctio et emendatio, tamen consuetudo præscribere solet translativæ, scilicet defert alio, quam legitimo superiori jurisdictionem, et sic jus Episcopi defertur Abbati vel Summo Pontifici ex c. cit. Cum ex Officii de Præscript. in quo additur. « Etsi alius contra eum præscribere posset utramque. » Barbos. part. 3, de offic. et potest. Episcop. allegat. 129, n. 9.

(78. Consuetudo si sit sola et non fulciatur a privilegio Apostolico, aut saltem ab ejus fama, cum est immemorialis, præscribere nullo modo potest contra Ecclesiasticam libertatem, Immunitatemque; nam in utroque jure talis Consuetudo reprobatum velut irrationabilis, ut pro Jure Canonico in cap. 1, et c. Cum inter 5 de Consuet. et in c. Ad nostram 3 eod. Demum c. Cum terra 14 de Elect. ubi sit: « Quia igitur hoc redundat in gravamen et perniciem Ecclesiasticæ Libertatis, præscriptam consuetudinis pravitate sancimus penitus abolendam. » Et pro Jure Civili Auth. Cassa C. de Sacrosanct. Ecclesiis verbis. « Cassa et irrita esse denunciari per totam Italiam præcipit omnia statuta et Consuetudines contra libertatem Ecclesiæ, ejusque personas inductis adversus Canonicas et Imperiales Sanctiones, et ea de Capitularibus penitus aboleri mandat nova Constitutio; et de cætero similia attentata ipso jure nulla esse decernit. » Vide Gloss. cap. ult. vers. Rationabilis, et ibi Abbas n. 5 hujus tit. Alex. Sperell. Decis. 37, for. Eccles., n. 41 et 42 allegans Rotam Decis. 10 de Consuet. in antiq. et in Oscens. Canonicatus 1, Decem. 1596. coram penna Barbos. in Collectan. ad c. Ecclesia S. Mariæ n. 18 et seq. de Constit. At si adest privilegium Pontificis tunc, ut diximus, vim habet Consuetudo.

(79. Alia reperies apud Canonistas Tit. de Consuetudine.

verbis, scriptis, et consensu. — 20. Ad validitatem contractus multæ requiruntur conditiones. Prima est mutuus utriusque contrahentis consensus. — 21. Secunda ut contractus fiat a personis potentibus, et non prohibitis de jure contrahere. — 22. Unde invalidi sunt Contractus celebrati ab infantibus usu rationis carentibus, et amentibus, furiosis, ebriis, et phreneticis. — 23. Filiusfamilias adhuc impubes de quibuscumque bonis suis etiam cum consensu, et auctoritate Patris sui ex nullo contractu obligatur civiliter. — 24. Pupillus adhuc impubes auctoritate Tutoris contrahens obligatur civiliter. — 25. Filiusfamilias pubes non potest valide contrahere sine consensu Patris de bonis adventitiis et profectitiis. — 26. Potest tamen talis filius etiam sine consensu Patris contrahere de suis bonis castrensibus, et quasi castrensibus. — 27. Pupillus, et Minorem valide contrahit in suum commodum obligando alterum, non tamen in suum incommodum obligando se al-

teri sine auctoritate Tutoris, seu Curatoris. — 28. Pupillus pubertati proximus, aut pubes, et multo magis Minorennis contrahens cum consensu, et auctoritate Tutoris obligatur, et naturaliter, et civiliter. — 29. Excipienda est tamen alienatio bonorum immobilium, et mobilium pretiosorum, quæ servando servari possunt. — 30. Pupillus, et Minorennis, seu minor 25 annis Curatorem habens non obligatur civiliter ex ullo contractu sine Tutoris aut Curatoris auctoritate inito. — 31. Excipiendi tamen sunt varii casus, in quibus pupillus, vel minor ex simili contractu etiam civiliter obligatur. — 32. Quamvis pupillus pubes, vel pubertati proximus, et minorennis sine Tutoris auctoritate contrahens non obligetur civiliter, obligatur tamen naturaliter, sive in foro conscientiæ. — 33. Adducuntur instantiæ, et solvuntur, ad n. 34. — 35. Excipiendi tamen sunt varii casus, in quibus pupillus, vel minorennis neque obligatur naturaliter, sive in foro conscientiæ. — 36. Uxor sine consensu Mariti non potest valide contrahere de bonis dotalibus, quousque talia bona dotalia quoad usumfructum, et administrationem sunt sub potestate mariti. — 37. Item invalide contrahit servus, sive cum Dominis, sive cum aliis contraxerit, ac proinde, neque illis, neque adversus illos conceditur de jure civili actio civilis. — 38. Limitanda est tamen hæc assertio in casu quo Servus Domino pecuniam promitteret pro libertate, qua adeptus, teneretur pecuniam promissam erogare, et pro executione concederetur actio civilis. — 39. Sic etiam Religiosi solemniter professi nequeunt valide contrahere sine consensu Superioris. Superiores autem, et ab eis deputati administratores bonorum communium possunt equidem contrahere, sed in multis casibus non nisi dependenter a consensu Capituli, et secundum speciales leges propriæ Religio-

(1. Contractus proprie dictus « est pactum, ex quo ultro citroque oritur obligatio, » seu est duorum, vel plurium consensus ultro citroque obligationem pariens, qualis est v. g. Emptio, Venditio, Locatio, et hujusmodi, ubi venditor est obligatus ad dandam mercem; emptor vero ad refundendum pretium. Est in re communis, et habetur ex l. *Labeo*, ff. de verbor. significat. (2. Nec contra hanc Contractus definitionem obstat, quod inter Patrem et Filium, Subditum et Superiorem, Maritum et Uxorem, et hujusmodi detur mutua, sive ultro citroque obligatio, non tamen Contractus, adeoque data Contractus definitio non sit bona. Non obstat, inquam, quia respondetur statim distinguendo antecedens. Inter Patrem et Filium, Subditum et Superiorem, etc., datur mutua obligatio, orta ex aliis virtutibus distinctis a justitia commutativa, v. g. ex Pietate, Obedientia, Fidelitate, hujusmodi, conceditur antecedens; orta ex Justitia et commutativa, negatur antecedens, et consequentia. Contractus enim est ultro citroque obligatio, quæ oritur ex motivo commutativæ post mutuum contrahentium consensum.

(3. Contractuum divisio est multiplex: reticitis enim hic diversis Contractibus in specie, ut sunt Contractus, Venditionis, Emptionis, Locationis, Conductionis, Commodati, Societatis, et hujusmodi, de quibus suis respectivis locis; Contractus ut sic, dividitur Primo in Contractum *explicitum*, seu *formalem*, et in Contractum *implicitum*, seu *interpretativum*. (4. Contractus *explicitus*, seu *formalis* est, qui fit expresso par-

nis. — 40. Tertia ex conditionibus requisitis ad validitatem contractus est, ut res, quæ sub contractu cadit, non sit aliquo jure prohibita cadere sub contractu, sed revera commercium pati queat. — 41. Quarta conditio est, ut contractus celebretur cum cognitione, et libere, id est nullus in conventionem intercedat error, neque vis, nec metus, nec dolus. — 42. Unde quando in altero contrahentium contigit error circa substantiam rei, contractus Jure naturæ est irritus. — 43. Si autem error, vel ignorantia sit solum circa qualitatem rei, non impedit consensum ad valorem contractus requisitum. — 44. Metus ab intrinseco proveniens non invalidat contractum. — 45. Similiter metus ab extrinseco proveniens, juste tamen ab alia causa libera incussus, contractum non invalidat. — 46. Si metus sit gravis ab extrinseco proveniens, seu ab altero contrahente injuste, et in ordine ad extorquendum consensum incussus, omnes contractus ex hujusmodi gravi metu injuste incusso celebrati vel sunt ipso jure invalidi, vel saltem per sententiam Judicis rescindendi. — 47. Enumerantur, et specificantur contractus, qui ratione talis gravis metus injuste incussi, sunt ipso jure invalidi, et qui sunt tantum irritandi, ad n. 49. — 50. Hactenus dicta intelligenda solum sunt de metu gravi, seu cadente in constantem virum, non autem de metu levi. — 51. Contractus vulgo dictus trium contractuum an sit licitus, vel illicitus, seu usurarius. *Remissive*. — 52. Contractus collaticius. — 53. Contractus venditionis cum pacto francandi. — 54. Alia *Remissive*. — 55 ad 77. An aliqua intercedat differentia inter pactum et contractum. — 78. Confundere non debes tractatum de contrahendo cum pactis et contractibus. — 79 ad 83. An locum sibi vindicet etiamnum distinctis Juris Romani inter contractus stricti juris et contractus bonæ fidei.

tium consensu, et dicitur explicitus, seu formalis, quia ejus obligatio oritur ex formali, et expressa utriusque contrahentis conventionem, juxta quam procedit Regula 85. Juris in 6. « Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur. » (5. Contractus *implicitus*, seu *interpretativus* est, qui fit implicite solum, et absque ulla expressa conventionem inter partes, sed interpretativa tantum, ex legis videlicet dispositione. Sic v. g. fit in Tutela, id est quando quis in se suscipit officium Tutoris, seu quodvis aliud officium; qui enim Tutelam, seu quodvis aliud simile officium in se suscipit, eo ipso implicite, seu ex ipsa Juris interpretatione, absque alia expressa conventionem se se obligat erga alterum, et alter obligatur erga ipsum, juxta leges, et conditiones circa tale officium receptas. (6. Secundo dividitur Contractus ut sic in Contractum *gratuitum lucrativum*, et in Contractum *onerosum*. Contractus *gratuitus lucrativus* est ille, quo ex una tantum parte oritur obligatio, ut nil petatur ex altera parte, ut donatio, legatum, Precarium, commodatum, etc. (7. Contractus *onerosus* est ille, quo ex utraque parte inducitur obligatio, ita ut obligationi unius correspondeat obligatio alterius, ut Emptio, Venditio, Locatio, Conduccio, etc., in his enim utrique parti contrahentium aliquid onus imponitur quiddam dandi, vel præstandi. (8. Alii vero illum appellant Contractum *onerosum*, ex quo oritur obligatio aliquid rependendi loco ejus quod datur, ut patet in emptione, et venditione, ubi emptor est obligatus ad rependendum pretium pro

re sibi vendita, et venditor est obligatus ad tradendam rem pro pretio ab emptore recepto; Contractum vero *gratuitum* illum appellant, in quo nihil rependitur loco ejus quod datur, ut in donatione, Legato, etc., ubi Donatarius, et Legatarius, etc., nihil tenentur rependere Donanti, et Leganti, etc.

(9. Tertio, Contractus ut sic dividitur in Contractus *nominatos*, et in Contractus *innominatos*; Contractus *nominati* sunt illi, qui non sistunt in nomine generali Contractus, vel pactionis, sed transeunt in proprium, seu specificum nomen sibi in Jure attributum, ut sunt Emptio, Venditio, Locatio, Conduccio, Depositum, Commodatum, Sponsalia, Matrimonium, et hujusmodi. (10. Contractus *innominati* sunt illi, qui proprio, et specifico nomine carent, et sistunt in nomine generali Contractus, seu pactionis. (11. Et horum quatuor sunt species, prout habetur in leg. *Naturalis*, ff. de Præscriptis verbis, scilicet *Do, ut des; Do, ut facias; Facio, ut facias, Facio, ut des*. (12. Ubi observa, quod si v. g. ego do tibi vinum, ut tu mihi des triticum, talis Contractus, non est emptio, nec venditio, quia non datur pretium pro merce, nec est ullus contractus specificè nominatus, sed sistit in solo generico nomine Permutationis, quia nomen permutationis ex se est commune omnibus contractibus respectivis, seu parientibus mutuum obligationem, ut cum aliis explicat Lugo tom. 2 de contractibus in genere, disp. 22, sect. 2, num. 8. Sporer., tom. 2, tract. 6, cap. 2, num. 9 et alii; sic etiam fit cum quis dat Paulo v. g. panem ut sibi labore, pingat, scribat, vel aliud quid faciat, aut cum quis colit alteri vineam, ut alter pascat suos boves, et hujusmodi; est enim ibi, et in similibus conventio quædam, sed non contractus aliquis nominatus. (13. Discrimen autem est inter utrosque contractus, quod in contractibus nominatis non licet pœnitere, id est a contractu resilire, altera parte, non consentiente, ut patet ex l. *Sicut* 5. C. de action. et oblig. At vero in contractibus innominatis, quantum est de jure civili, licet pœnitere, seu a Contractu recedere, etiam si pars pœnitens, seu recedens ex sua parte Contractum impleverit, si ex altera parte nondum impletus sit; dummodo tamen altera pars servetur indemnis, si fortasse aliquod damnum occasione talis revocati Contractus incurrat. v. g. quia fecit jam quasdam expensas pro impletione talis Contractus, et postea is fuit per pœnitentiam alterius partis revocatus, exempli gratia, Petrus dedit Paulo pecuniam, ut pergat Romam; Petrus potest pecuniam repetere, quandiu Paulus nondum ivit, dummodo Petrus servet indemnem Paulum, si pro tali faciendo itinere jam quasdam fecit expensas; l. *si pecuniam* 3, ff. de conditione causa data. (14. Notanter autem dicitur *quantum est de jure civili*, quia spectato jure Canonico in Contractibus innominatis pœnitere non licet, si altera pars parata sit fidem servare, et Contractum adimplere, neque sit in mora hunc adimplendi; In foro enim conscientiæ, cum una

pars non recedat, debet utraque stare contractui, nisi circumstantiæ sint notabiliter mutatæ, ut ex communi recte notat Tambur., lib. 8, tract. 3, c. 6, § 2, et docet Felinus in c. *Antigonus*, de pactis, num. 13. Molina, tom. 2, de justit. et jure, disp. 258, num. 7, citans pro hac sententia Baldum in rubric. C. de rerum permutat. Et sic tenent alii passim. Et ratio est quia, ut supponimus, vere se in conscientia obligavit, atque altera pars cum onere se obligandi acceptavit, unde in conscientia non licet uni parti pœnitere, seu recedere altera parte dissentiente.

(15. Quarto, Contractus, ut sic dividitur in Contractum *bonæ fidei*, et in Contractum *stricti juris*. Contractus *bonæ fidei* sunt illi, in quibus Judex multa potest arbitrari, quæ secundum bonam contrahentium fidem censentur inesse, etiam si verbis non fuerint expressa, ut sunt Emptio, Venditio, Locatio, Conduccio, Depositum, Societas, et cæteri Contractus, qui enumerantur in § *Actionum autem*, Institut. de Actionib. (16. Contractus *stricti juris* sunt illi, in quibus Judex alligatur ad verba contrahentium, quia in ipsis stricta interpretatio fieri debet secundum id, quod verbis expressis conventum fuit, ut sunt *mutuum, census, emphyteusis, stipulatio, donatio gratuita*, etc., l. 90, ff. de verb. obligat. (17. Hic est advertendum ex Glossa communiter recepta in cap. *Cum venerabilis* 6, de exceptionibus, verb. *Bonæ fidei*, quod Contractus *bonæ fidei* non ideo sic dicuntur, quasi in eis tantum servari debeat bona fides, quia hæc etiam in omnibus aliis Contractibus stricti juris requiritur, non enim licet neque eos mala fide celebrare; sed ideo primi dicuntur Contractus bonæ fidei, ex quo cum frequenter soleant fieri inter cives, non solent in iis Contractibus apponi multæ conditiones, quæ alias in aliis Contractibus ponuntur, sed se remittunt ad consuetudines Patriæ in dictis communibus Contractibus intelligi solitas, secundum quas rectus Judex judicare debet, quamvis in similibus Contractibus non sint expressæ tales conditiones, cum secundum bonam contrahentium fidem censeantur inesse; Contractus vero *stricti juris* ideo sic dicuntur, quia in ipsis contrahentes solent omnes particulares conditiones apponere, secundum quas, et præscripta verba Contractus, et non aliter, debet Judex restricto judicare in iis. (18. Numerus actionum *bonæ fidei*, quæ sunt septemdecim, patet in sequentibus versibus a Glossa loco citato adductis.

*Empti, Conducti, mandati, depositique,
Pignora, Ciscundæ* (id est familiæ erci-
scundæ) *communis* (id est communi dividendo)
pro socioque.
Dotis, et Heredis, Tutelæ, Commoda, Gestor.
Præscriptis verbis si mutat, sive licetur.
Ista bonæ fidei sunt; stricti cætera juris.

Et eadem Glossa ibi advertit, quod in primo versu per ly *Empti* subintelligitur etiam ly *Venditi*, et per ly *Conducti* subintelligitur ly *Locati*, quia nunquam unum

est sine altero, id est nunquam est emptio sine venditione, et conductio sine locatione. Item in quarto versu verba illa *Præscriptis verbis si mutat, sive licetur*, duas tantum actiones denotant; nam actio *Præscriptis verbis* est stricti juris, demptis his duobus casibus, videlicet quando ea de æstimato proponitur, vel quando ea ex permutatione competit; Glossa § *Actionum*, verb. *Ex permutatione*, institut. de Actionib.

(19. Contractus possunt perfici aut compleri quatuor modis, scilicet Re, Verbis, Literis seu scriptura, vel saltem consensu. Est *communis* et expresse habetur in § fin. Institut. de obligat. ibi: « Aut enim re contrahitur, aut verbis, aut literis, aut consensu. » (20. Ad validitatem Contractus multæ requiruntur conditiones. Prima est mutuus utriusque contrahentis consensus; l. 1, § *Conventiones*, ff. de pactis, ubi sic habetur: « Dixit Pedius nullum esse pactum, nullam obligationem, quæ non habeat in se consensionem, nam et stipulatio, quæ verbis fit, si non habeat consensum, nulla est. » Idem in terminis habetur leg. 3, ff. de oblig. et action. et patet clare ex ipsamet definitione Contractus desumpta ex leg. *Labeo*, ff. de verb. significat. quod nempe Contractus sit ultro citroque obligatio, vid. supr. n. 1. (21. Secunda ut Contractus fiat a personis potentibus, et non prohibitis de jure contrahere; leg. 5, Cod. de oblig. (22. Unde invalidi sunt Contractus celebrati ab infantibus usu rationis carentibus, ab amentibus, furiosis, ebriis, et phreneticis; § 8, Institut. de inutili stipul. et leg. obligationes 11, § 12, ff. de oblig. et action. (23. Filius familias adhuc impubes de quibuscumque bonis suis etiam cum consensu, et auctoritate Patris sui ex nullo Contractu obligatur civiliter, Institut. de inutil. stipulat., § *Sed quod diximus*. (24. Pupillus tamen impubes auctoritate tutoris contrahens obligatur civiliter; ibid., § *Pupillus* 9. Et ratio disparitatis est, quia pupillo datur actio contra tutorem, si male suaserit, aut male auctoritatem præstiterit, qualem actionem non habet filius contra Patrem ob naturalem reverentiam, ac virtutem pietatis; leg. *Cum oportet*, § *Sub hac tamen ver.* (25. Filius familias pubes non potest valide contrahere sine consensu Patris de bonis adventitiis, et profectitiis, leg. ultim., § 5, C. de bonis, quæ liberis. (26. Potest tamen talis filius etiam sine consensu Patris contrahere de suis bonis castrensibus, et quasi castrensibus, quorum is absolutum habet dominium, Institut. de inutil. stipulat., § Item inutil. 6, et leg. 39, ff. de action. et obligat. (27. Pupillus et Minorennis valide contrahit in suum commodum obligando alterum, non tamen in suum incommodum, seu obligando se alteri sine auctoritate Tutoris, vel Curatoris; Instit. de auctor. Tutor. et inutil. stipulat., § *Pupillus*; item leg. *Julianus* 13, ff. de action. empt. leg. *Contra Juris* 28, de pactis, et est communis.

(28. Pupillus pubertati proximus (id est post completum annum undecimum cum dimidio, si masculus sit; vel nondum cum

dimidio, si sit fœmina, ex § *Pupillus*, Institut. de inutil. stipulat. juncta Glossa verb. *Infantia proximus*) aut pubes, et multo magis minorennis contrahens cum consensu, et auctoritate Tutoris obligatur, et naturaliter, et civiliter; leg. *impuberes*, ff. de auctoritat. et consensu Tutorum. (29. Excipienda est tamen alienatio bonorum immobilium, et mobilium pretiosorum, quæ servando servari possunt; ista enim pupillis, et minoribus etiam accedente Tutorum, vel Curatorum auctoritate interdicta est, nisi Judicis decreto accedat; l. *Lex*, C. de administrat. tutorum, l. ult. C. *quando decreto opus non est*, et l. *non solum*, § *minor*, C. de prædiis Minorum, l. *Clarum*, C. de auctoritat. præstanda. (30. Pupillus et Minorennis, seu minor 25 annis Curatorem habens non obligatur civiliter ex ullo contractu sine Tutoris, aut Curatoris auctoritate inito. Ita habetur in § *admonendi*, Institut. *Quibus alienare licet*, et toto tit. ff. et Institut. de auctoritat. Tutor. et l. 3, C. de in integrum restitut. (31. Excipiendi tamen sunt varii casus, in quibus pupillus, vel minor ex simili Contractu etiam civiliter obligatur: Primo scilicet, quando res tradita pupillo dolo ejus perit, datur contra eum actio civilis, qua solvere compellitur; leg. 1, § *an in pupillum*, ff. de depositi leg. 3, § *pupillus*, juncta Glossa ff. de negot. gestis. Secundo, quando pupillus seu Minorennis contractum juramento firmavit, civili etiam actione obligatur; Authen. *Sacramento puberum*, C. si adversus venditionem. Tertio, quando pupillus seu Minorennis ex tali Contractu est factus ditior; leg. *pupillus* § *pupillus*, ff. de auctoritat. Tutor. C. de usucapione pro emptore. Nam « Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. » Regul. 48 juris in 7. Exempli gratia, si pupillus, vel Minorennis mercem sibi traditam a venditore, ante solum pretium bona fide absumpsit, vel amisit, potest compelli in foro civili ad reddendum id in quo inde factus est ditior.

(32. Quamvis pupillus pubes, vel pubertati proximus, et Minorennis sine Tutoris auctoritate contrahens non obligetur civiliter ut dictum est supr. num. 27, obligatur tamen naturaliter, sive in foro conscientie. Est communior cum Molina tom. 1, tract. 2, disput. disp. 224, n. 31. Sanchez. lib. 6, de Matrimon. disp. 38, n. 21. Less. lib. 2, cap. 19, n. 61. Rebell. part. 2, lib. 1, de contract. quæst. 8, sect. 2. Gomez 2, resolut. cap. 14. Card. De Lugo disp. 22, sect. 10, num. 288. Layman. lib. 3, tract. 4, cap. 9, num. 7. Sporer tom. 2, tract. 6, cap. 1, num. 138. Onnate de contractib. d. 4, num. 40. La Croix lib. 3, part. 2, num. 671. cum plurimis aliis ibi citat. contra Alciat. Covarruv. et varios alios apud Sanchez num. 20. Et ratio est quia obligatio naturalis oritur ex consensu; leg. *Stichum* § *naturalis*, ff. de solut. sed pupillus pubes, vel pubertati proximus, et a fortiori Minorennis sufficientem consensum habent, ut colligitur ex § *pupillus*, Institut. de inutil. stipulat. ergo naturaliter, sive in foro conscientie obligantur ex contractu.

Neque leges civiles tales contractus irritant pro foro conscientie, et naturaliter; immo potius multis in locis dicunt pupillum sine tutoris auctoritate contrahentem obligari naturaliter, uti expresse habetur leg. *Si pupillus*, ff. ad l. *falcidiam*, leg. *Si ejus*, ff. ad Trebellianum, leg. 1, ff. de Novationibus, et alibi sæpe, ut leg. *Mercellus* 25, ff. de Fidejussoribus, ubi expresse dicitur pupillum sine auctoritate tutoris contrahentem obligari: non obligatur autem civiliter, ergo naturaliter. (33. Nec obstat quod leg. *pupillus*, ff. de actionibus, et obligat. et l. *Quod pupillus*, ff. de condict. indebitis, negetur pupillum naturaliter obligari; nam respondetur quod illa jura, et alia similia loquuntur de pupillo impubere proximo infantie, qui cum infirmum intellectum habeat, et parum a furioso distet, ut dicitur; leg. *pupillus* 56, ff. de action. et obligat. ideo jura civilia ejus contractui resistunt, et omnem obligationem tollunt; Sic Layman loc. cit. num. 8. Sporer. loc. cit. num. 138, et alii passim. (34. Nec etiam obstat, quod leg. 59, ff. de obligat. dicitur pupillum mutuam pecuniam accipiendo nequidem jure naturali obligari; nam sensus est jure naturali non obligari stare contractui, cum ipse rescindere possit; Sic La Croix loc. cit. n. 671.

(35. Excipiendi tamen varii casus, in quibus pupillus, vel Minorennis neque obligatur naturaliter, sive in foro conscientie. Primo, scilicet si pupillus, cum ipso tutore contrahat v. g. si Tutori vendat domum, prædium, et hujusmodi, non obligatur nequidem naturaliter, quia leges hujusmodi contractui resistunt; leg. 1, et leg. *pupillus*, ff. de auctoritate Tutor. leg. *Non licet*, ff. de contrahend. empt. Dato autem quod pupillus habeat plures tutores, si auctoritate unius contrahat cum altero, tunc pupillus est obligatus; leg. *pupillus*, ff. de auctoritate tutor. Layman loco cit. n. 8. Sanchez loco cit. num. 25, et alii passim. Secundo, si pupillus alienet bona immobilia vel mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt saltem per triennium, Contractus, non obligat nequidem naturaliter; quia in his contractibus majoris momenti jus positivum irritat consensum, non solum pupilli, sed etiam tutoris, si consentiat sine decreto Judicis; leg. 12, Cod. de administr. tutor. et communis Doctorum, et leg. 7, 11, 15, Cod. de prædiis. Tertio, si Judex ex speciali causa interdixerit omnem administrationem pupillo circa res suas, tunc non erit pupillus obligatus nequidem naturaliter per Contractum, quia consensus illius esset jure irritus; Sanchez loco cit. n. 27. La Croix loc. cit. n. 746, et alii.

(36. Uxor sine consensu Mariti non potest valide contrahere de bonis dotalibus, quousque talia bona Dotalia, quo ad usumfructum, et administrationem sunt sub potestate Mariti. (37. Item invalide contrahit servus, sive cum Dominis, sive cum aliis contraxerit, ac proinde neque illis, neque adversus illos

(1) Non est generatim verum, errorem, et igno-

conceditur de jure civili actio civilis; leg. *In personam*, l. *quod attinet*, ff. de regul. Juris, leg. *Servi*, ff. de actionibus, et obligat. (38. Quantum autem ad Servum limitanda est assertio in casu, quo Servus Domino pecuniam promitteret pro libertate, qua adepta teneretur pecuniam promissam erogare, et pro executione concederetur actio civilis; leg. *promissæ*, Cod. an. Servus proprio facto. (39. Sic pariter Religiosi solemniter professi, ex quo ob votum paupertatis nullius rei Dominium habent, consequenter nequeunt legitime disponere de bonis Monasterii, neque valide contrahere sine consensu superioris; Superiores autem, et ab eis deputati Administratores bonorum communium, possunt quidem contrahere, sed in multis casibus non nisi dependenter a consensu Capituli seu Religiosæ communitatis, et solummodo ad usus determinatos, et quo ad hoc observandæ sunt speciales pro unaquaque Religione Constitutiones, et legitimæ praxes. Ita communis Doctorum.

(40. Tertia ex conditionibus requisitis ad validitatem Contractus est, ut res quæ sub Contractu cadit, non sit aliquo jure prohibita cadere sub conventionione, sed revera commercium pati queat. Unde defectu hujus conditionis, si res esset v. g. Sacra, aut publica, conventio, seu contractus erit inutilis; § 2, Institut. de inutil. stipul., ibi: « Idem juris est (*hæc stipulatio erit inutilis*) si rem Sacram, aut Religiosam, quam humani juris esse crederet, vel publicam..... vel cujus commercium non habuerit; » Sic invalidus est contractus, quo sine beneplacito Apostolico alienantur, vel permutantur, vel hypothecæ subjiuntur bona Ecclesiastica immobilia, vel mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt; Extravagant. Pauli II incip. *Ambitiosa*. (41. Quarta conditio est, ut contractus celebretur cum cognitione, et libere, id est nullus in conventionione intercedat error, neque vis, nec metus, nec dolus; Regul. 116, § 2, de regul. juris ibi: « Non videntur qui errant consentire; » Nihil consensui tam contrarium est, quam vis atque metus.

(42. Unde quando in altero contrahentium contingit error circa substantiam rei, contractus jure naturæ est irritus, quia tunc deest consensus substantialis, cum nullus sit errantis consensus, ut expresse dicitur leg. *Non idcirco*, Cod. de juris et facti ignorantia; leg. 15 ff. de jurisd. leg. 11 et 41, ff. de contrah. empt. Sic v. g. dum venditur, et emitur aurichalcum pro auro, vitrum pro gemma, est nullus contractus, nam emens intendit emere aurum, vel gemmam, non vero aurichalcum, vel vitrum; sine consensu autem contractus est nullus; l. 1, § *conventiones*, ff. de pactis; l. 3, ff. de obligat. et action. (43. Si autem error vel ignorantia sit solum circa qualitatem rei, non impedit consensum ad valorem contractus requisitum; Aliter 10, et l. *Alioquin*. 31. de contrah. emot. (44. Me-

rantiam circa rei qualitatem non impedire consen-